

## Istoricul fundatiunii „Romantzai.“

DEDUCTIO I. Fundator Romantzai anno adhuc 1833 in suo ad suam Majestatem C. R. supplici libello petierat, ut Eadem Testamentum suum in origine qua *A* supplici libello acclusum ceu ultimae voluntatis suae tabulam confirmare dignaretur licet eam // solummodo in favorem suae Nationis Vlachi- cae remediis patrocinisque destitutae fecerit,

(Exstat supplex libellus in origine, sed sine accluso.)

II. Sua Majestas C. R. manualibus de 24-a Iunii ejusdem anni 1833, indeque medio decreti aulici de 17-a Iulii Nro aulico 5303, Gubernialis autem resolutionis, quae supplici libello fundatoris indorsata existit de 5-a Sept. ej. anni Nro 9180 resolvere dignita est, testamenta viventium, confir- mari quidem non posse, interim si laudabile suppli- cantis intentum studiosam suo nationis Juventutem sublevandi, firmum sit: fundationales Litteras ex- pediendas venire.

(Exstat resolutio Gubernialis in origine, supplici Libello in- dorsata.)

III. Hunc in finem eodem anno fundator Blasium venit, ut cum Episcopo protunc III. Dno Ioanne Lemény de modalitate instituendae foundationis suae consultaret, qua occasione declaravit se ad tenorem praecitati sui Testamenti foundationem in favorem Juventutis Nationis Valachicae facere velle.

Hoc in vivis adhuc existens Illmus Dnus Episcopus Ioanes Lemény uberius docere poterit, et Canonicis autem Rmus Dnus Basilius Rátz, caeteri enim mortui sunt.

IV. Anno 1841 idem fundator jam Viennae habitus, per Litteras rogavit Eundem Illmum Dnum Episcopum et Capitulum, ut duos fideles homines ad se Viennam ablegarent. quibus partem suae substantiae tradere Capitulo Blasiensi pro Conservatione in rationem foundationis inter ipsum fundatorem et Episcopum cum Capitulo conventae perferendam.

Quod docebunt idem Ill. Dnus Episcopus et ex Capitularibus Rmi Domini Basilius Rátz, Constantinus Alutan et Stephanus Boër.

V. In harum Litterarum consequentiam missi sunt eodem anno 1841 mense Julio duo Professores Blasienses: Joannes Russu et Gregorius Moldvai, iam defuncti, Viennam ad fundatorem, et quidem Capituli Blasiensis expensis quodiidem docere poterunt, forte exstant plenipotencia horum ablegatorum vel aliae Litterae de hac re in Protocollo Praesidiali illius anni.

VI. Ablegatis his fundator non modo 44 obligationes status a 1000 fl. cm. singulas, verum novissimum etiam suum testamentum eodem modo in favorem Juvenum Valachorum concinnatum, ad Episcopum et Capitulum perferenda tradidit. Quod iidem docere poterunt.

VII. Anno in sequente 1842 fundator suum testamentum praecedente anno Episcopo transmisum, sibi restitui petiit a capitulo, ejusque loco aliud exemplum recentioris quidem dati, transmisit, sed ejusdem in essentialibus, tenoris, et imprimis quoad Clausulam in favorem Juvenum valachorum. Quod iidem docere poterunt.

VIII. Usque ad annum 1843 quo disturbia inter Episcopum et partem Cleri exorta sunt, nulla unquam mentio fuit de alliis nationalitatibus Transilvanicis, praeter Valachicam, ex hac fundazione

participaturis, et quidem nec retenus, nec in toties repetitis fundatoris testamentis, sed solummodo de Juvenibus Valachis, quod iidem docebunt.

IX. Exortis autem praecitatis disturbii anno 1843 quidam turbulentorum Professorum contra Episcopum litigantium, mensium feriarum Majorum Julio et Augusto 1843, Viennam profecti et in specie Iosephus Pap et Demetrus Boër, uterque Theologiae in Seminario Blasiensi Profesor Seminaristarumque tumultuantium antesignani, fundatorem jam senem decrepitem, facileque furiosis Calumniatoribus aurem praebentem ad id induxerunt, ut crederet foundationem suam Episcopo Capituloque Blasiensi haud tuto concredi posse, eu quod hi parum fidi bonorum etiam Cleri depraedatores essent, futurum sit, ut hanc quoque foundationem in nepotum tantum Clientumque suorum favorem converterent. Quibus Cavillationibus inductus senex Litteras indignationis plenas ad Episcopum Capitulumque missit quibus et testamentum suum et status obligationes anno 1841 transmissas repetebat, nihil sibi Deinceps commune cum Episcopo et Capitulo habiturus. Quod iidem qui supra et praeterea anno priore 1842 electus Canonicus Timotheus Cipariu docere poterunt.

X. Ad has expostulatorias Litteras Episcopus cum Capitulo responderunt separatos quidem esse adexpetita omni momento restituenda, quia tamen hae Litterae ipsis in prima furia atque adrecente Cavillationum impressionem dictatae viderentur, ne actum agerent statuisset, ut prius eundem ad serius pensitandas Calumnias adhortarentur, quod si tamen in repetendis suis rebus porro quoque perseveraret, accepto responso se illa ipsi inditate Transmissuros. Copia huius responsi Episcopalis forte aderit in Protocollo Praesidiali Anni 1843.

XI. Verum fundator non expectatis his Episcopi Litteris, mox alias ad eundem dedit, in quibus se ob praecipitantiam excusat, et obligationales quidem porro quoque apud Capitulum conservari petit, sed Testamentum sibi restitui postulat, eo quod quaequam in mutanda haberet, cujus loco novum se transmissurum testamentum promisit, ut et prius fecerat.

Huic petito illico a parte Episcopi et capituli delatum fuit, ita ut obligatoriales semper apud Capitulum manserint, testamentum tamen restituerit, quin tamen aliud loco transmissi Capitulo durante Fundatoris vita testamentum ab eo missum fuerint.

XII. Quales autem immutationes suscipere intendat fundator in testamento, Episcopo et Capitulo nec tunc, nec postea notum fecit, neque praevideri poterat, quamquam varii hoc tempore hac de re rumores spargerentur; pessimo autem in Casu hoc tantum supponi poterat, ob subratam diffidentiam Patronatum foundationis Episcopo et Capitulo ademptum iri, non vero etiam, quod fundator suam toties manifesta tam intentionem de adjuvandis Juvenibus Valachis mutare intendat, quin Episcopo et Capitulo id notum reddere velit.

XIII. Firmiter igitur persuasi sumus, fundatorem quidem jam valde senem in his agitationibus in proposito suo mutare coepisse, indeque primo suam fiduciam Episcopo Capituloque subtrahere, postea vero ipsam etiam foundationis priorem destinationem paululum immutare constituisse; quin penitus hoc etiam in parte constans maneret.

Fluctuationem hanc animi, tria illa ex hac periodo usque ad fundatoris obitum nocte Diem 7-am Decembris 1844 in sequente subsecutum exstantia testamenta abunde docent. Etenim:

a) Testamentum de 17 Octobris 1843, quod nomine A venit, et de Juvenibus Transilvanis in genere sonat, in consequentiam falsarum mensibus proxime praecedentibus illius anni factarum delationum Criminationumque conditum esse satis apertum est, nihil enim simile prius contigit.

b) Testamentum vero de eodem quidem mense, Die et anno cum A sed de Juvenibus tantum Valachis sonans, et post A factum, ut saepius demonstratum fuit, demonstrat fundatorem poenitentia quadam ob praecedens sub A testamentum ductum, ad pristinam suam intentionem redire voluisse, forte in momento quo testamentum suum Episcopo et Capitulo in locum repetiti transmittere voluit, uti promiserat; etenim ut testamentum A Episcopo Capituloque transmitteret, impossibile esse sentiebat, tum quia illud essentialiter mutatam foundationis destinationem continebat, tum etiam quod in constantem fundatoris animum prodidisset, imo dubitare quoque poterat, num Episcopus et Capitulum mutatum hac ratione sine eorum praescitu foundationis testamentum acceptare vellent.

c) Verum ubi testamentum B jam ita paratum ad transmissionem haberet, rursus fluctuare, dubiisque agitari coepisse fundatorem, ex eo apparet, quod demum tertium jam testamentum, quod C dicitur, in favorem rursus Juvenum Transilvanorum 1844 scribere coeperit, atvero:

d) Postea quam hoc ultimum eo perduxisset, ut nihil amplius restaret, quam ut folia dissoluta consueret, testiumque sub fine testamenti promisorum subscriptionibus muniri faceret, horrore quodam laesae datae fidei et in nationem suam Commitendi Criminis perteritus, circa finem substitit animo fluc-

tuans adeo ut a 16-a Septembris 1844 usque ad obitum suum eodem anno circa initium Decembris subsequutum animum inducere non potuerit, ut altera etiam vice inceptum sed nec dum Consumatum exhaeredandae pauperis Juventutis suae Nationis nihil tale merentis testamentum obsignaret.

XIV. Neque etiam Episcopus ac capitulum prius noverunt, testamenta exstare, quae fundationem hanc in favorem aliarum quoque nationalitatum et Religionum in Transylvania conversam testarentur, donec decedente fundatore, medio Litterarum Gubernialium de 4-a Ianuarii 1845 Nro 555 Copiae trium istorum testamentorum cum Episcopo et Capitulo communicarentur, quibus autem acceptis non intermisit Episcopus una cum Capitulo suam de unico Testamento *B* legitimo valore sententiam Gubernio aperire, reliqua vero duo *A* et *C* pro invalidis declarare, ut ex Litteris de 11-a Martii 1845 ad Gubernium datis apparet, quae in Protocollo Praesidiali ejusdem Anni reperiuntur.

XV. Ad hanc Episcopi Capitulique remonstrationem, Gubernium in suo ad episcopum Intimato de 9-a Aprilis 1845 Nro 3806 rescribens agnoscit: Episcopum ceu Supremum Testamenti Romantzaiani Executorem tenere omnium trium exstantium Testamentorum Constitutum, primum etiam Judicem hac in causa esse. — Quapropter Episcopus mandatario suo Viennam ad recipiendam fundatoris massam reliquariam ablegato Canonico Timotheo Cipariu in Instructione ei data de 4-a Iunii 1845 puncto 2-o committit, ut Legatarios ad tenorem Testamenti *B* excontentaret, in 3-o vero puncto ut medio supplicio Libelli suam Majestatem SSmam de genu oraret, quo Eadem tum Testamentum *B* tum universam fundationem ad tenorem ejusdem testamenti confir-

mare dignaretur. Quod mandatarius utrumque fecit, uti docet et Quietantia Magnifici Dni Iosephi Brensan de 16-a Septembris 1845 et Repraesentatio ejusdem mandatarii ad Excelsam C. R. Cancellariam Transilvanico-Aulicam de 21-a Iulii 1845 una cum adnexo supplici Libello extenus ad Suam Majestatem.

(Exstant omnia in hoc §-o citata Documenta.)

Ex his praemis necessario consequitur:

1-o. Intentionem fundatoris usque ad Annum 1843 constantem in eo fuisse, ut foundationem in favorem solummodo Juvenum Valachorum faceret.

2-o. Anno demum 1843 fundatorem cogitare coepisse de hac sua intentione modificanda adductum ad hoc Calumniis partis turbulentae et Episcopo adversae, contra Episcopum et Capitulum evomitis, in quarum sequelam testamentum *A* conditum est.

3-o. Eundem facti poenitentia ductum eodem ad huc anno hoc sub *A* testamentum, condito alio sub *B* quod de Valachis sonat, revocasse, et licet *B* post *A* conditum est, ejusdem dati *B* cum *A* esse voluit ut hac ratione existentiam quoque testamenti *A* quodammodo negaret.

4-o. Ob similes scrupulos fundatorem etiam Anno 1844 aliud testamentum sub *C* inchoasse, sed finire ausum non esse.

Quae omnia demonstrant: fundatorem integra imperturbataque mente, ac maturo consilio de sua fundatione tantum ab Anno 1833 disposuisse, quorum indubitatum documentum est supplex ejus ad SSmam Majestatem de Anno 1833 Libellus *A* Testamenta inde usque ad annum 1843 condita, quo omnia de solis Juvenibus Valachis sonant. Ab anno vero 1843-o usque ad obitum ejus initio Decembris 1844 mens ejus alio quin decrepeti senis, tum ob natu-

ralem senilem debilitatem, tum ob scrupulo, animo ejus a Calumniatoribus Episcopi injectos, minus firma integraque, et consilium non amplius maturum, dicenda sunt; quod ostendunt plura sibi repugnata ex eodem Periodo Testamenta, quin quo rejicere vellet, deliberare potuerit, aut annihilavit. Quae tamen fluctuatio infirmioreni ejus aetatem non cadit.

Verum in hac quoque ultima vitae suae Periodo prior animi sententia provaluisse cognoscitur, ex eo quod a) Testamentum *A* subverterit per *B*, et b) Testamentum *C* inchoaverit tantum *A* non finiverit, non quod ei tempus a 14-a Septembris 1844 usque 7-am Decembris defuisset, sed quia finire exhorruit.

(Collect. I. c. d. P.)